



# [M. T. Ciceronis Orationes duo: altera pro A. Licinio Archia poeta, altera pro M. Marcello]

<https://hdl.handle.net/1874/420546>

# EXORDI<sup>3</sup> VM ET VERBA Marci Tullii Cice- ronis.



I V T V R N I  
silentii P.C. quo e-  
ram his téporibus  
vſus, non timore a-  
liquo, sed partim  
dolore, partim ne-  
recundia, finē hodiernus dies attu-  
lit, idemq; initiū quę vellem quęq;  
sentiré, meo pristino more dicendi.  
Tantam enim māsuetudinem, tam  
inusatā inauditamq; clemētiā,  
tantum in summa potestate rerum  
omnium modum, tam denique in-  
credibilem sapientiam, ac penè di-  
uinam, tacitus nullo modo præteri

A ii re .

re possum. M. enim Marcello vobis  
P.C. Reiç pub. reddito, nō solū il-  
lius, sed meam etiam vocem & au-  
thoritatem, & vobis, & Reipub. cō-  
seruatam, ac restitutam puto.

Dolebam enim P.C. ac vehemē-  
ter angebar, cum viderem virum ta-  
lem, qui in eadem causa, in qua ego  
fuisset, non in eadem esse fortuna,  
nec mihi persuadere poteram, nec  
fas esse ducebā versari me in vestro  
veteri curriculo, illo æmulo atque  
imitatore studiorū, ac laborū meo-  
rum, quasi quodā socio à me & co-  
mite distracto. Ergo & mihi me-  
pristinæ uitæ consuetudinē C. Cæ-  
sar interclusam aperuisti, & his o-  
mnibus ad bene de omni Republi-  
ca sperandū, quasi signum aliquod  
sustulisti. Intellectum est enim mi-  
hi quidem in multis, & maximè in  
meipso,

meipso, sed paulò antè in omnibus,  
cum M. Marcellum Senatui Rei<sup>p</sup>  
publicæ concessisti, commemoratis  
præfertim etiā offenditionibus te au-  
thoritatem huius ordinis, dignita-  
temq<sup>z</sup> Reip. tuis uel doloribus, uel  
suspicionibus anteferre. Ille quidē  
fructū omnis antea&t; vitæ hodier  
no die maximum cœpit, cum sum-  
mo consensu Senatus, tum præterea  
iudicio tuo grauissimo et maximo,  
ex quo profecto intelligis quanta  
in dato beneficio sit laus, cū in ac-  
cepto tanta sit gloria. Est uerè ille  
fortunatus, cuius ex salute non mi-  
nor penè ad omnes, quam ad illum  
ventura sit l<sup>a</sup>titia, peruererit, quod  
ei quidem meritò atque optimò iu-  
re contigit. Quis enim est illo aut  
nobilitate, aut probitate, aut opti-  
marū artium studio, aut innocētia

A iii aut

aut vlo genere laudis præstantior?

PHILIPPI ARTIFICIVM.

EXORDIVM instituitur à causa dicēdi seu agēdi, & initio auctum est occupatione: diu enim nihil egerat Cicero, propterea quod propter ruinā partium decebat cum lugere amicos. Adhac minus gratiæ atque authoritatis tum habebat. Nunc igitur addet causam, quare contra suum morem coepit iam dicere. Et hinc sumitur exordij propositio, ut postea causa dicendi exponatur.

Propositio. Cum haec tenus causas nullas dixerim, hodie primum renouo ueterem meam dicendi consuetudinem. Ratio sumitur ex loco communi. Quia egregias uirtutes naturaliter sequitur laus & prædicatio, ideo dicit, Non possum facere quin prædicem Cæsaris uirtutem et moderationem. Deinde sequitur expositio proxime rationis scilicet, qua in re Cæsar fuerit moderatus, uidelicet in restituendo Marcello, idque beneficium exaggerat, & transfert primum ad se, deinde ad Remp. ita fit duplex translatio. Transfert enim Cicero exemplum ad se, & ad Remp. Quia Cæsar hoc exemplo ostendit se tales uiros in Rep. retinere uelle, & eorum autoritatem rursus excitare. Sequitur igitur conclusio, primum de se, deinde de Rep. Primū ait ad se pertinere beneficium, quia restituto socio iterum ad di cendum redeat. Nam restituto oratore addidit Ciceroni

roni animum, quod oratorib. iterum concessurus es-  
set locum in Repub. Deinde addit de Repub. quod  
beneficium ad totam pertineat Rempub.

Quia Cæsar cum priuatas iniurias condonet Sena-  
tui, declarat se Senatum & remp. incolumen uelle  
seruare. Atque hæc pars exordij propemodum in  
hoc syllogismo uersatur.

Magna uirtus non potest disimulari. Cæsar im-  
signi clementia & moderatione utitur erga Mar-  
cellum, me, & Rempub.

Ergo redeo ad dicendum. Postea fit amplifica-  
tio beneficij ex persona Marcelli. Honorificum est  
Marcello, quod à senatu tanti fit, ut pro eo depre-  
cetur. Item quod tu cum dignum iudicas restitutio-  
ne. Ergo ex natura correlatiuorum. Si gloriosum  
illi est accipere hoc beneficium, tibi dare glorio-  
sius est.

Ἐπιφῶνικα. Marcellus est fortunatus, cùm  
ipsius leticia pariat publicam letitiam. Amplificatio  
à dignitate Marcelli, dignus est hac fortuna, quia  
est nobilis & uirtute præstans.

## C I C . V E R B A .

Nullius tantum est flumen inge-  
nii, nulla dicendi aut scribendi tan-  
ta vis, tantaque copia, quæ non di-  
cam exornare, sed enarrare C. Cæ-

A. iiiii C. Cæsar

M. T U L. C I C E R O

far res tuas gestas possit, tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nul lam in his esse laudem ampliorem, quam eam quam hodierno die consecutus es.

P H I L I P. A R T I F I C I V M.

Hæc oratio non habet narrationem facti, quia res nota erat. Incipit igitur causam à propositio ne, & propositio facta est per comparationem. Quanquam multa gesisti, & cum summa laude. Tamen ex restitutione Marcelli multo maiorem laudem es adeptus, quam ex alijs rebus bello gestis.

C I C. V E R B A.

Soleo sæpè ante oculos ponere, idq; libéter crebris usurpare sermonibus. Omnes nostrorū imperatorum, omnes exterarum gétium potentissimorumq; populorū, omnes clarissimorum Regum res gestas, cū tuis, nec contentionum magnitudine nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate cōficiendi, nec dissimilitudine bello-  
rum

rum posse cōferri. Nec verò disiun  
ctissimas terras citius cuiusquā paſ-  
ſibus potuisse peragrari quām tuis,  
non dicam cursibus ſed victoriis il-  
lustratæ ſunt, quæ quidem ego niſi  
tam magna eſſe fatear, ut ea vix cu-  
iū ſquam mens aut cogitatio capere  
poſſit, amens ſim. Sed tamen ſunt  
alia maiora, nam bellicas laudes ſo-  
lent quidam extenuare verbis, eafq;  
detrahere ducibus, cōmunicare cū  
militibus, ne propriæ ſint impera-  
torum, & certè in armis militū uir-  
tus, locorum oportunitas, auxilia  
ſociorum, clasſes, commeatus mul-  
tum iuuāt. Maximam verò partem  
quaſi ſuo iure fortuna ſibi vēdicat,  
& quicquid proſperē gemitum eſt, id  
penē omne ducit ſuū. At verò hu-  
ijs gloriæ C. Cæſar, quam eſt paulo  
antè adeptus, ſociū habet neminē,  
totum

totum hoc quantumcunq; est, quod certè maximū est, totum est inquā tuum. Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil Præfetus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatē gloriaz non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

## PHILIP. ARTIFI.

Primum argumentum ex causis sumptum est. Estq; Enthymema. Res bellicæ non sunt propriæ nostræ, & magna ex parte ne quidem consilio reguntur. At clementer facta sunt propriæ nostra, & ratione tantum fiunt. Igitur sunt honestiora. Sed conclusio differtur, & ratio consequentie omissa est. Nam sensus communis eam offert, quia neque aliena laudem nobis pariunt, neque illa que non reguntur consilio.

Præponit autem Enthymemati concessionem, in qua res bellicas Cæsar is amplificat, quia enim præferit

fert hanc domesticam laudem, ne nimium uideretur  
extenuare res bellicas, proderat eas prius ornari  
atque laudari.

## CIC. VERBA.

Domuisti gétes immanitate bar  
baras, multitudine innumerabiles,  
locis infinitas, omni copiarū gene  
re abundantes . Sed tamen ea uici  
sti, quæ & naturam & cōditionem  
ut vinci possent , habebant . Nulla  
est enim tanta vis,tanta copia, quæ  
nō ferro, ac viribus debilitari fran  
giqp possit. Verùm animum vince  
re, iracundiam cohibere, victoriam  
temperare, aduersarium nobilitate,  
ingenio, virtute præstante non mo  
do extollere iacentem, sed etiā am  
plificare eius pristinam dignitatē,  
hæc qui faciat , non ego eum sum  
mis viris comparo , sed similimum  
Deo iudico.

PHILIP.

Secundum argumentum à difficultate sumitur. Difficilius et gloriosius est iram uincere, presertim in uictoria, quā bello hostes atque urbes capere. Alibi hostes bello superasti, hic uicisti iracundiam, igitur hoc factum difficilius & gloriosius est. Sed hec conclusio paulò post sequetur. Hęc est sententia duorum argumentorum. Cicero et si non astrinxit formis dialecticis, tamen ita recitat, ut membra dialectice formae agnosci possint, & tamen sermo liberior est. Ceterum addit ornamenta, sententias ex locis communibus sumptas, & compositionem, quę agnosci facile possunt cognitis principalibus membris.

## C I C . V E R B A .

Itaque C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celerabuntur illę quidem non solū nostris, sed penè omniū gentiū literis, atq; linguis, neq; ulla unquā artas de tuis laudibus cōticescet, sed tamen eiusmodi res nescio quomo-  
do etiā dum laudantur aut dum le-  
guntur, obstrepit clamore militum  
videtur, & turbarum sono. At ve-  
rò cum aliquid clementer, mansue-  
te,

te, iuste, recte, moderate, sapienter fa-  
ctum, in iracundia præsertim, quæ  
est inimica consilio, & in uictoria,  
quæ natura insolens, & superba est,  
aut audimus, aut legimus, quo stu-  
dio incendimur? non modo in ge-  
stis rebus, sed etiam in fictis? ut eos  
sæpè, quos nunquam vidimus, dili-  
gamus. Te verò, quem præsentem  
intuemur, cuius mentem sensusque  
& os cernimus, vt quicquid belli  
fortuna reliquum Reipublicæ fece-  
rit, id esse saluum uelis, quibus lau-  
dibus efferemus? quibus studiis p-  
sequemur? qua benevolentia com-  
pletebemur? parietes medius fidius  
C. Cæsar, vt mihi videtur, huius cu-  
rię tibi gratias agere gestiunt, quod  
breui tempore futura sit illa autho-  
ritas in his maiorum suorū & suis  
sedibus. Evidem cum M. Marcelli

viri

viri optimi, & cōmemorabili pietate ac virtute præditi lachrymas modò vobiscum viderem, omnium Marcellorū meum pectus memoria effodit, quibus tu etiā mortuis M. Marcello conseruato, dignitatē suā reddidisti, nobilissimamq; familiā iam ad paucos redactā, penè ab interitu vēdicasti. Hunc tu igitur diē tuis maximis & innumerabilibus gratulatiōibus iure antepones. Hæc enim res vnius est propria Cæsarīs, cæterę duce te gestę, magnę ille quidem, sed tamen multò magnoq; comitatu. Huius autem rei tu ipse es & dux & comes, quę quidem tanta est, ut nulla sicut trophæis, monumentisque tuis allatura sit finem ætas. Nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando nō conficiat, & cōsumat vetustas. At verò hæc

hæc tua iustitia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antè pietate & misericordia viceris, hodierno verò die te ipsum vicisti.

## PHILIP. ARTIFIC.

*Conclusio est duorum argumentorum, que sua  
pra recensuit. Ergo hæc moderate facta sunt lau-  
dabiliora. Sed Cicero auxit conclusionem, repetita  
concessione de bellicis laudibus, his postea opponit  
moderate facta. Et tota res est sumpta ex loco com-  
muni, ex collatione uirtutum Castrorum, & alia-  
rum uirtutum, que quia sunt mitiores, naturaliter  
blandiuntur magis hominibus quam alteræ. Valent  
enim tantum ad bonitatē, seu ad benefaciendum, non  
ad nocendum, quare suauiores & amabiliores sunt.*

*Amplificat conclusionem ex minore. Hæc boni-  
tas delectat etiam in absentibus, & in personis fa-  
ctis, quanto magis in te presente. Quia uirtus est  
quidem ipsa amabilis, etiamsi mortuis aut fictis per-  
sonis tribuatur. Sed tamen efficacius mouet ani-  
mos, cum ipsis praesentes ea fruimur.*

Sequitur

Sequitur προσωποποίia. Curia sentit hanc nostram lēticiam, & gaudit te restituere Remp. restitutis senatoribus. Aliud πανδόξ, Mortui gaudent conseruari familias. Deinde repetit conclusionem breuiter, & mox attexit tertium argumentum.

Durabilis laus est amplior. Hec laus quam consecutus es hac bonitate, non est quidem ornata tropheis, & statuis, Sed est in animis posita, & perpetua, quia insignem uirtutem semper amant, semper admirantur homines. Ideo hęc laus est amplior quam ulla trophya.

Quartum argumentum habet collationem ciuilium uictoriarum, quae plurimum ualent, & ex ipsis officijs, & exemplis summorū principum sumpta est.

#### CIC. VERBA.

Vereor ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse, cogitans sentio, ipsam vicitriam viciisse videris, cum ea quæ illa erat adepta victis remisisti. Nā cum ipsis vicitriæ conditione iure omnes victi occidissimus, clemetiæ tuæ iudicio conseruati sumus. Recte igitur vñus inuictus es, à quo etiam

etiam ipsius victorię conditio, visq;  
deuicta est. Atque hoc C. Cesaris iu-  
dicium P.C. quam latè pateat atte-  
dite. Omnes enim qui ad illa arma  
fato sumus nescio quo Reipub. mi-  
sero funestoq; compulsi, & si aliqua  
culpa tenemur erroris humani, à  
scelere certè liberati sumus. Nam  
cum M. Marcellum deprecantibus  
vobis Reipublicæ conseruauit, me-  
met mihi, et item Reipub. nullo de-  
precante, reliquos amplissimos vi-  
ros, & sibiipsis, & patriæ reddidit,  
quorum & frequentiam & dignita-  
tem hoc ipso cōfessu videtis. Non  
ille hostes induxit in curiā, sed in-  
dicauit à plarifq; ignoratione po-  
tius & falso atq; inani metu, quām  
cupiditate aut crudelitate ciuile bel-  
lum esse suscepsum, quo quidem in  
bello semper de pace agendum au-

B diendumq;

diendumq; esse putaui, sempérque  
dolui non modo pacem, sed & ora-  
tionem ciuium pacem efflagitantiū  
repudiari . Neq; enim ego illa, nec  
vlla vnquam secutus sum arma ci-  
uilia, semperq; mea consilia pacis, et  
toga<sup>z</sup> socia, non belli atque armorū  
fuerunt, hominem sum secutus pri-  
uato officio, non publico, tantumq;  
apud me grati animi fidelis memo-  
ria valuit, vt nulla non modò cupi-  
ditate, sed ne spe quidem prudens,  
& sciens tanquam ad interitū rue-  
rem voluntarium, quod quidē meū  
consilium minimè obscurum fuit.  
Nā & hoc in ordine integra re mul-  
ta de pace dixi, & in ipso bello ea-  
dem etiam cum capitis mei pericu-  
lo sensi. Ex quo nemo erit tam iniu-  
stus rerum æstimator, qui dubitet,  
quæ Cæsar is voluntas de bello fue-  
rit,

tit, cum pacis authores conseruan-  
dos statim censuerit, cæteris fuerit  
iratior.

## PHILIP. ARTIFIC.

Amplificat quartum argumentum, Primum posita propositione, quod mitigauerit crudelitatem uitæ  
etoræ, quod uidelicet nemo præter Cæsarem antefecit unquam in ista Republica.

Et commoratur in hoc loco commemorans quam multos conseruauerit Cæsar, quibus iure irasci potuit. Et amplificat hunc locum dupliciter, Primum ait ipsum Cæsarem, cum conseruet aduersarios ex pristinæ dignitati restituit, significare quod non sint improbi ciues, quod errore lapsi sint. Deinde ipsi Cæsari tribuit studium pacis. Ratiocinatur eum pacem maluisse, quia nunc studeat conseruare pacis authores. Hæc conjectura ex effectu prudentissime cogitata, mirificè hic ualeat.

## CIC. VERBA.

Atque id minus mirum videtur fortasse tum, cum esset incertus exitus & anceps fortuna belli: Qui verò uictor pacis authores diligit, is profectò declarat, maluisse se non dimicare, quam vincere. Atq; hu-

B ii ius

ius quidē rei Marco Marcello sum  
testis. Nostri enim sensus, vt in pa-  
ce semper, sic tum etiam in bello cō-  
gruebant. Quotiens ego eū & quan-  
to cum dolore vidi cum insolentiā  
certorum hominū , tū etiam ipsius  
victorię ferocitatem extimescentē?  
Quo gratior tua liberalitas C. Cæ-  
sar nobis, qui illa vidimus, debet es-  
se, Non enim iam causæ sunt inter  
se, sed victoriæ cōparādæ. Vidimus  
tuam victoriam præliorū exitu ter-  
minatam, gladium vagina vacuum  
in vrbe non vidimus. Quos amisi-  
mus ciues, eos Martis vis perculit,  
non ira victorię, vt dubitare debeat  
nemo , quin multos , si fieri posset,  
C. Cæsar ab inferis excitaret: quo-  
niam ex eadem acie cōseruat quos  
potest . Alterius verò partis, nihil  
amplius dicā, quām id quod omnes  
verebamur,

verebamur, nimis iracundam fuisse futuram victoriam. Quidam enim non modò armatis, sed interdum etiam otiosis minabatur. Nec quid quisq; sensisset, sed vbi fuisse cogitandum esse dicebant, ut mihi quidem videantur dii immortales, etiamsi pœnas à populo Ro. ob aliquod delictum expetuerint, qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam uictoris & sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono & fruere cū fortuna & gloria, tum etiā natura & moribus tuis, ex quo quidem maximus est fructus, iucunditasq; sapienti. Cætera cùm tua recordabere & si persæpe virtuti, tamen plærunque fœlicitati tuæ gra-

B iii tulabere.

tulabere . De nobis , quos in Rep. tecū simul saluos esse voluisti , quo- tiens cogitabis , totiens de maximis tuis beneficiis , totiēs de mirabili li- bertate , totiens de singulari sapien- tia tua cogitabis , quæ non modò summa bona , sed nimirum audebo vel sola dicere . Tātus est enim splē- dor in laude vera , tanta in magnitu- dine animi & consilii dignitas , vt hæc à virtute donata , cætera à for- tunā commodata esse videantur . Noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari , nō cupiditate præ- fertim , aut prauitate aliqua lapsis , sed opinione officii stulta fortasse , certè non improba , & specie quadā Reipublicæ . Non enim culpa tua est , si te aliqui timuerunt , contraq; summa laus , quod plæriq; minimè timendum esse senserunt .

PRO M. MARCELLO.  
SEC V N D A P A R S.

23



Vnc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimā suspicionē tuā, quæ non tibi ipsi magis, q̄ cūm omnibus ciuibus , tum maximē nobis, qui à te seruati sumus prouidēda est . Quam etsi spero es- se falsam,nunq̄ tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cau- tio est,vt si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus , q̄ parum prudens. Sed quisnā est iste tam demēs ? de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui , q̄ quibus tu salutē insperantibus reddidisti ? an ex eo numero , qui vnā tecū fuerunt s nō est credibilis tantus in vlo furor, vt quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam nō anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cauen-

B iiiii dum

dū est, nequid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerūt, vt aut nulli superfuerunt, amicissimi sint. Sed tamen, cùm in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sanè suspicionem tuam: simul enim augebimus et diligentia. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Repub. tam nihil vñquam nec de sua, nec de communi salute cogitans? qui nō intelligat tua salute contineri suam? & ex vnius tui vitâ pédere omnium? Evidem dies noctesq; de te, ut de beo, cogitans, casus dūtaxat humanos, & incertos euētus valitudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco, doleoq; cū Respub. immortalis

mortalis esse debeat, eam in vnius mortalis anima consistere. Si verò ad humanos casus, incertosq; euentus valetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumq; consensio, quem deum etiam cupiat opitulari posse Reip. credamus? Omnia sunt excitanda tibi C. Cæsar vni, quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculta atque prostrata, constituenda iudicia, reuocanda fides, comprimenda libidines, propaganda soboles, omnia, quæ delapsa iam fluxerunt, seueris legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tātoq; animorum ardore & armorum, quin quas sata Respub. quicunque belli euentus fuisset, multa perderet, & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suę, multaq; vterque dux faceret

ceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset, quæ, quidé tibi nūc, tibi omnia belli vulnera sananda sunt, quibus preter te mederi nemo potest.

## PHILIP. ARTIFIC.

Amplificatio à tempore, quod parcere authoribus pacis post uictoriam plus sit, quam cum exitus adhuc incertus est. Addit de Marcello, quod is quoque fuerit author pacis, id exemplum pertinet ad Enthymema supra positum. Deinde confert Cæsarrem cum aduersarijs, qui non fuerant tam moderati in uictoria futuri.

Epiphonema, A causa quod diuinitus acciderit, alioqui enim funditus perituram fuisse Rempublicam, nisi tam moderatus uictor contigisset.

Sequitur conclusio principalis totius primi negotij, continens laudem huius clementie & adhortationem, ut pergit seruare ciues. Deinde accedit ad alterum negotium huius orationis, uidelicet ad purgationem suspicionum Cæsaris, ubi primum est inficiatio. Non est credibile quenquam insidiari uite Cæsaris. Ratio habet διάκριση, nec tui, nec hostes possunt insidiari. Postea addit concessionem.

Sed sint tamen aliqui tam improbi, qui te saluum esse nolint, huic concessioni opponit locum firmorem

miorem, scilicet adhortationem de cauendo.

Addit rationes ex necessitate Reipub. non potest restituiri Respub. nisi a te uno. Igitur debes te Reipub. seruare.

## CIC. VERBA.

Itaque illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem inuitus audiui, satis te diu vel naturæ vixisse, vel glorie. Satis si ita vis nature fortasse, addo etiam si placet, gloriae, at quod maximum est, patriæ certè parum, quare omitte quæso istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam, noli nostro periculo sapiens esse, sæpè enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo, sed tum id audire, si tibi soli viueres, aut si tibi etiā soli natus es- ses, nunc cum omnium salutem ci- uiuum, cunctamq; Rempublicam res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes

abes à perfectione maximorū operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum vitiæ tuæ, non salute Reipublicæ, sed æquitate animi definies? Quid? si istud ne gloriæ quidē tuæ satis est, cuius te esse audiſſimum, quāmuſis ſis ſapiens, non negabis. Parū ne igitur inquires, gloriā magnam relin quemus? immo verò aliis, quāmuſis multis ſatis, tibi vni parūm: quicquid enim eſt quamuis amplū fit, id parum eſt, tum cùm eſt aliquid amplius. Quòd ſi rerum tuarū immortalium C. Cæſar hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduersariis Rempub. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt, vide quæſo, ne tua diuina virtus admiratiōis plus ſit habitura, quām gloriæ. Si quidē gloria eſt illuſtris, ac peruagata multorum

& magnorum vel in suos ciues, vel  
in patriam, vel in omne genus ho-  
minum fama meritorū. Hęc igitur  
tibi reliqua est pars, hic restat actus,  
in hoc elaborandum est ut Remp.  
constituas, eaque tu in primis compo-  
sita summa tranquillitate & ocio  
perfruare. Tum te, si voles, cùm &  
patriæ quod debes, solueris, & natu-  
ram ipsam expleueris satietate vi-  
uendi, satis diu vixisse dicio. Quid  
enim est omnino hoc ipsum diu, in  
quo est aliquid extremum? quod  
cum venerit, omnis voluptas prete-  
rita pro nihilo est, quia postea nulla  
futura sit. Quanquam iste tuus ani-  
mus nunque his angustiis, quas natu-  
ra nobis ad viuendum dedit, cōten-  
tus fuit, semper immortalitatis a-  
more flagravit. Nec verò hęc vita  
dicēda est, quę corpore & spiritu cō-  
tinetur,

tinetur, illa inquam, illa vita est tua  
Cesar, quæ vigebit memoria seculo  
rum omnium quam posteritas alet,  
quam ipsa æternitas semper intue-  
bitur. Hui c tu inferuias, huic te  
ostentes oportet, quæ quidé quæ mi-  
retur iampridem multa habe, nunc  
etiam quæ laudet expectat. Obstu-  
pescent posteri certè imperia, pro-  
vincias Rhenum, Oceanum, Ni-  
lum, pugnas innumerabiles, incre-  
dibiles victorias, monumenta, mu-  
nera, triumphos audientes & legen-  
tes tuos. Sed nisi hęc vrbs stabilita-  
tuis consiliis & institutis erit, vaga-  
bitur modò nomen tuū longè atq;  
latè, sedem quidé stabilē & domici-  
liū certum non habebit. Erit inter  
eos etiam qui nascentur, sicut inter  
nos fuit magna dissensio, cùm alii  
laudibus ad cœlum res tuas gestas  
efferent,

fferent, alii fortasse aliquid requiri-  
rēt, idq; vel maximū, nisi belli ciui-  
lis incendiū salute patriæ restinxer-  
is, vt illud fati fuisse videatur, hoc  
cōsilii. Serui igitur iis etiam iudici-  
bus, q; multis post sēculis de te iudi-  
cabūt, & quidē haud scio, an incor-  
ruptius q; nos. Nā & sine amore, &  
sine cupiditate, & rursus sine odio,  
& sine inuidia iudicabunt. Id autē,  
etia si tunc ad te, vt quidā falsō pu-  
tant, non pertinebit, nūc certè per-  
tinet, te esse talē, vt tuas laudes ob-  
scuratura nulla vnquā sit obliuio.

## PHILIP. ARTIFIC.

Amplificat institutam adhortationem confuta-  
tione cuiusdam dicti, quod primum reprehendit ex  
causis finalibus. Satis uixisti naturæ & glorie, sed  
non patriæ, quia Reipub. adhuc opus est tua inco-  
lumentate.

Secundō sequitur inuersio de gloria, immo nec  
gloriæ satis uixisti, & ratio sumitur ex definitio-  
ne. Perfecta est gloria quam pariunt insignia mea  
rita

rita erga homines, illa non est uerè gloria, si quis quam libet magnas res gesserit & relinquat Rem publicam in periculo.

Tu ita demum bene mereberis de toto genere humano, cum hanc Rempub. constitueris, igitur tum demum dicito, te satis diu uixisse glorie, cum Rem publicam constitueris.

Tertio reprehendit particulam, diu, ex collatione uitæ peritura. Estq; propositio. Non debes tempus uitæ desitum respicere, sed eternitatem.

Postremò non laudabit te posteritas, si nullam aut dissipatam Remp. reliqueris: tunc enim nulla erit posteritas. Ergo da operam ut eam constituas.

## C I C. V E R B A.

Diuersæ voluntates ciuium fuerunt, distractæq; sententiæ, non enim consiliis solùm & studiis, sed armis etiam & castris dissidebamus, erat autem obscuritas quedam, erat certamen inter clarissimos duces, multi dubitabant, quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi qd deceret, nonnulli etiam quid licet. Perfuncta Resp. est hoc misero fataliç;

fataliç bello, vicit is, qui non fortuna, inflammaret odium suū, sed bonitate leniret, neque omnes quibus iratus esset, eosdē etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis crepta sunt, ingratus est iniustusç ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa animā profudit (quæ enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest) sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris, restat ut omnes vnū velint, qui habent aliquid, non solum sapientiæ, sed etiā sanitatis, quia nisi te C. Cesar saluo, & in ista sententia, qua cū antea, tum hodie vel maximè usus es, manente, salui esse nō possumus.

C Quare

Quare omnes te qui hæc salua esse  
volumus , & hortamur & obsecra-  
mus, vt vitæ, vt saluti tuę consulas:  
omnesq; tibi , vt pro aliis etiam lo-  
quar: quod de me ipse sentio , quo-  
niā subesse aliquid putas, quod ca-  
uendum sit, non modò excubias &  
custodias, sed etiam laterū nostro-  
rum oppositus , & corporum polli-  
cemur. Sed vt vnde est orsa, in eodē  
terminetur oratio mea, maximas ti-  
bi omnes gratias agimus C. Cæsar,  
maiores etiam habemus. Nā omnes  
idem sentiunt , quod ex omniū pre-  
cibus, et lachrymis sentire potuisti.  
Sed quia non est astatibus omnibus  
necessæ dicere , à me certè dici vo-  
lunt, cui necessæ est quodammodo,  
& quod volunt, & quod fieri decet,  
& quod M. Marcello à te huic ordi-  
ni Populoq; Ro . & Reip. reddito,  
præcipue

principuē id à me fieri debere intellico. Nam lātari omnes , non vt de vnius solūm, sed vt de communi omniū salute sentio. quod autē summae benevolentiae est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, vt vix M. Marcello optimo , & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini, cùm id solicitudine, cura, labore, tā diu præstiterim, quām diu est de illius salute dubitatum, certè hoc tempore , magnis curis, molestiis, doloribus liberatus præstare debeo. Itaque C. Cæsar sic tibi gratias ago, vt omnibus me rebus à te non conseruato solūm, sed etiam ornato , tamen ad tua innumerabilia in me vnū merita , quod fieri iam posse non arbitrabar , maximus hoc tuo factō cumulus accesserit.

## PHILIP. ARTIFIC.

Conclusio orationis, in qua primum est commemoratio beneficij Cæsaris, quod bellum maximum sua bonitate tantum finierit, ac nunc instaurat reliquias imperij. Deinde accedit consequēs, Vituperatio ingratitudinis insidiorum. Hac uituperatione precipue suspicione Cæsaris minuit.

Postea sequitur adhortatio, ut Cæsar uitā tueatur, & addit παρόδος, quod Principes ipsi promittant se futuros corporis eius custodes.

Ad extremum redit ad Marcelli causam, & cum supra beneficium Cæsaris laudauerit, nunc in fine gratias agit. Primum publicè nomine omnium, deinde priuatim suo.

## PARAPHRASIS.

**V**M hactenus in Senatu nihil egerim, quadam impetitus mœsticia temporum, nunc libenter pristino meo more rursus dicere incipio. Non enim possum facere, quin Cæsaris moderationem qua in summa potestate rerum utitur, dignissimā summo principe planeq; diuinā prædicē.

Restituit enim nobis admirabili clementia M. Marcellum, qua in re primum meam authoritatem excitauit. Nam absente Marcello, uidebatur auctoritas omnis oratorum iacere, nunc eo restituto, recreari

creari illa uidetur. Itaq; C. Cæsar & mihi ueterem consuetudinem dicendi aperit, & uniuersam Remp. bene sperare iubet. Cum enim priuatas iniurias Senatui condonat, satis declarat, se senatum atq; uniuersam Remp. incolunem esse uelle. Ac Marcello quidem honorificum est quod & Senatus dignum censuit, ut pro eo deprecaretur, & tu cum restituis iudicare uideris eum Reip. atque tibi ornamento futurum esse. Cum autem illi gloriosum sit, hoc tum beneficium accipere, quanto tibi glorioius est dedisisse? Projectò fortunatus est Marcellus cum ipsius fælus ac leticia ingentem uniuerse Reip. leticiam parat. Atque hanc ei fœlicitatem gratulor: est enim ea propter nobilitatem & excellentem uirtutem dignissima.

Etsi autem tot tamque uarijs bellis res gestissi maximas, tamen ueroiem laudem nulla res habet, quam hec tua moderatio, qua hodie in restituendo Marcello usus es. Neminem enim tecum conferre possumus uel exterorum regum, uel nostrorum imperatorum, totum orbem terrarum peruagata sunt arma tua, superatis bellicosissimis nationibus, & deuicitis fortissimis ac maximis exercitibus, harum rerum magnitudinem cogitatione consequi uix quisquam potest, tantum abest, ut prædicare pro dignitate possit. Quanquam igitur hec esse maxima, ut sunt, fateor, tamen sunt alia in te maiora: nam illa iure præferuntur, que & tua sunt propriæ, & in quæ

nihil habet iuris fortuna. At rerum bello gestarum laus ad milites etiam pertinet, & propemodum eis fortuna dominatur. Hæc autem moderatio, tua est propriè, neque hic milites, nec fortuna sibi quicquæ arrogare potest, que cùm sit expers consilij, nihil ad sapienter facta pertinet.

Deinde difficilius et gloriōsius est magnis uiris in uictoria cohibere, & moderari iracundiam, q̄ ferro ac uiribus hostes frangere. Tu uero in uictoria ciuili que solet esse crudelior, non solū pacis aduersario nobili ac præstanti, sed etiam cum in pristinā dignitatem restituis. Quanquam igitur consilij magnitudinem, uirtutem, ac fœlicitatem tuam, in gerendis bellis perpetuò celebrabit uniuersa potestitas, te principem inter Heroës omnes ponet atque prædicabit, tamen hæc moderate facta mirabiliter animos hominum afficient, & in amoro tui rasant. Nulla enim uirtus aut admirabilior, aut hominibus gratiōr est, q̄ modestia in summa potestate rerum, iracudie moderatio, præsertim in uictoria, hæc cum in fabulis leguntur ficta, tamen ita commouent nos, ut illos, qui nunquam extiterunt, præditos his uirtutibus non solum admiremur sed etiā amemus, quanto magis te præsentem suspicere atque amare cogimur, cuius uidemus tantam animi magnitudinem, ut uictoriam non ad priuatam libidinem, aut crudelitatem exercendam, sed ad salutē publicam omnium gentium, conferre studeas, cuius bonitate fruimur

ipſi

ipſi, & ſalutem & dignitatem recuperauimus. Hęc  
 ipſa curia communem omniū leticiam ſentit, et gau-  
 det unā nobis cum, authoritatē huius consiliij in his  
 ædibus reſtitui. Deniq; illi ipſi maiores noſtri, quo-  
 rum excellenti ſapientia & uirtute hoc imperium  
 partum atq; conſtitutum eſt, cūm in illa æterna ſea  
 de nihil perinde optent, atque ut hęc Republica  
 perpetua ſit, maximam uoluptatem ex tua humani-  
 tate capient, cūm uiderint te hanc urbem reſtitue-  
 re, & familias nobilissimas ab interitu vindicare.  
 Mihi quidem nunc ſubijt omnium Marcellorum re-  
 cordatio, totam familiam penè extinctam uideris in  
 lucem reuocare. Hanc igitur bonitatis laudem, o-  
 mnibus triumphis tuis, omnibus monumentis ac tro-  
 phæis antepones. Quæ quidem & perpetua eſt, ne-  
 que illi temporis iniurie obnoxia. Nam alia monu-  
 menta uetustas conſumit omnia, hęc uero laus bo-  
 nitatis in animis atque memoria uniuersæ posteri-  
 tatis condita, extingui aut obliterari nunquam po-  
 test. Nunquam enim potest animis hominum excuti  
 admiratio eximie uirtutis. Atque antea quidē alios  
 uictores bellorum ciuilium humanitate uiceras, ho-  
 die uero teipſum uicisti. Et quod diſſicillimum eſt,  
 uictoria uim atque crudelitatē moderatione tua mi-  
 tigasti, cūm hiſ pepercisti, quibus uictor iure iraſci  
 poteras. Iſta uero clementia, latifimè patet. Primi  
 enim ad nos omnes pertinet exemplum. Declaras  
 nim te uelle totum hunc ordinem conſeruare, cūm

nō inducis in curiā barbaros atq; exterarum natio-  
 num homines, sed nostri ordinis uiros reuocas, ac  
 significas nos à te non iudicari sceleratos, sed ma-  
 gis errore lapsos, cum arma aduersus te cœpimus.  
 Deinde ad te pertinet exemplum, cum me & alios  
 pacis authores conseruas, ostendis te semper pacē  
 q; bellum maluisse. Constat enim quæ mea de pace  
 sententia fuerit, uerum quod hostes tuos fecutus  
 sum, non probauit belli consilium unquam, sed pri-  
 uato officio adductus, deesse Pompeio nolui, neque  
 enim obscurum est, hos qui in Republica uersan-  
 tur, implicitos amicorū studijs, minimè in sua pote-  
 state esse. Fuit in eadem sententia de pace mecum &  
 Marcellus, quem uidi non solū belli calamitates de-  
 plorantē, sed etiā pertimescētem uictoriae crudeli-  
 tate. Quare tua bonitas nobis gratissima est, qua  
 uictoriā mitigas. Nemo in urbe interfectus est, nemo  
 usquam nisi in acie perijt, hæc in uictoria ciuili dia-  
 uina quædā uirtus est. Alterius uero partis uictoria  
 uidebatur futura plena crudelitatis. Minabantur ea-  
 nim non solū aduersarijs, sed etiā ociosis. Ac uide-  
 tur singulari bonitate dei accidisse, ut postquā nos  
 hoc misero luctuosoq; bello plecti uoluit, tamē uicto-  
 ria tibi cōtingeret, cuius moderatiōe exitus mitiga-  
 retur, ne Resp. periret funditus. Quare, quod facis,  
 perge conseruare ciues, et hanc tuam clemētiam, in  
 summis bonis ducito, quæ quidē nō solū lögē omni-  
 bus ijs antecelit, quæ tibi beneficio fortunæ conti-  
 gerunt

gerunt, sed etiam inter uirtutes, in tanta fortunæ indulgentia nulla magis quam hæc animi moderatio lucet. Nunc uenio ad atrocissimam suspicionem tuam, in qua significas quosdam uitæ tue insidiari, hanc uero non duxi purgandam esse, sed te potius adhortandum, ut uitam tuam summa diligentia tuearis. Quanquam spero neminem esse tam dementem, qui non optet te saluum & incolumen esse. Primū enim non est credibile quenquam ex tuis esse, cui salus tua non sit charissima: nam te duce maximas opes cōsecuti sunt. Deinde inimici, aut in acie perierunt, aut dimisi incolumes non solum hostilem animal exuerunt, sed etiam sentiunt se tibi uitam et omnia pro immortali beneficio tuo debere. Sed nō utar purgatione: nam ingrati atque improbi multi sunt. Quare potius augenda est suspicio ut salute tuam custodias diligentius: nam salute tua continetur uniuersæ Republicæ, atque omnium nostrum salus. Bellum, ut fit, audacissimo cuique licentiam omnium rerum concessit, iudicia perturbauit, leges operis: nunc iterum authoritas legum excitanda est, iudicia constituenda, poenis cohercendi improbi, frenanda licentia, mores regendi sunt: hæc cum præter te nemo possit efficere, facile intelligi potest, nisi te saluo, Republicam saluam esse non posse. Itaq; uelementer consternatus sum cum diceres te satis diu uel naturæ uel glorie uixisse. Quamquam est quedam laus fortitudinis non formidare mortem, tamen

Republicæ

Reipublicæ causa uitam tueri te oportet: propterea quod de tua incolumente salus Reipublicæ pendet. Deinde si rectè aestimes, nondum gloriae tue satis uixisti. Et si enim ea, que gesisti hactenus, maximam apud omnes gentes admirationem habitura sunt, tamen perfecta gloria ea demum est, quam pariunt egregia merita, que insignem utilitatem, uniuerso generi humano afferunt. Quare ita demum ad omnem posteritatem relinques perfectam gloriam, si hoc imperium in tranquillum restitueris, ac legibus, ac præsidijis ita munueris, ne dissipetur, ac penitus concedat: nam ea res ad salutem totius humani generis pertinet, ut sit certum aliquod imperium, quo gentes omnes contineantur, hoc à te beneficiū orbis terrarum expedit. Atque alijs fama rerū suarum gestarum sufficit, qui res tantas perficere non potuerunt. Tu uero ad ceteras res gestas debes addere hoc opus summo principe dignum, quod cum perfecceris, tum demum satis diu uixisse te dicito. Quanquam illud etiā in te non competit, uitæ tēpus atq; etatem metiri, eternitatē animo intueri debes, & illam uerè uitam tuam existimare, que uigebit apud uniuersam posteritatem, apud quam ita uiues, si Rempublicam à te constitutam ei reliqueris: tunc enim, et si ceteras res admirabuntur, tamen ita iudicabunt, hoc diuina cuiusdam sapientiae fuisse, quod Rempublicam ex tanto bello restitueris in tranquillum, & quia tuo maximo beneficio fruenteris, nomen tuum

tuum summis honoribus & diuinis, grati prosequen-  
tur. Neque uero sensus nullus est exutis hoc corpo-  
re, quare illa posteritatis iudicia ad te pertinebunt,  
aut si tunc sensus nullus erit, certe iam ad te per-  
tinet quo animo sis, & qualem de te opinionem re-  
linquere cupias. Quantum autem tibi debeamus o-  
mnes pro tua eximia, ac perie diuina bonitate, nemo  
consequi uerbis potest, bellum horribile fuit inter ci-  
ues quod hanc Rempublicam haud dubie funditus  
euertisset, ac delesset, nisi nunc uictoris moderatio-  
ne clementiaque conseruaretur atque instaurare-  
tur, qui non explet iracundiam suam in delendis re-  
liquijs huius urbis, sed oblitus priuati doloris, redit  
in gratiam cum hostibus, eosque ut imperij autho-  
ritatem conseruet, in patriam reuocat, quam legi-  
bus, iure, denique omni ratione munit atque ornat:  
in tanta bonitate, si quis adhuc uictori irascitur, is  
profecto ingratus, & in patriam impius est, que nisi  
incolumi Cæsare, salua esse non potest. Quare ne-  
cessere est omnibus, qui quidem non oderunt patriam,  
uita Cæsaris precipue curæ esse, optareq; ut quam  
maxime diuturna sit, te quoque adhortamur atque  
obsecramus omnes, qui hanc Rempublicam interire  
nolumus, ut uitam tuam tuearis, eamq; ad rem pola-  
lizemur nos ipsos corporis tui custodes fore.

Sed ut redeat oratio ad eam causam, à qua  
sumpsit exordium, gratias tibi Cæsar agimus max-  
imas omnes, quod Marcellum restitueris, quodque

## 44 PARAPHR. PRO M. MARC.

eo restituto significaueris te reliquis nobis etiam  
placatum esse, & priuatas offensiones Reipu-  
blicæ condonare. Postremò quoniam Marcellum ita  
ano, ut nemini præter fratrem concedam in amo-  
re eius, meo nomine priuatim tibi ago gratias:  
nam ad cetera tua erga me ingentia be-  
neficia, quod fieri uix posse arbit-  
rabar, cumulus hodie  
maximus aca-  
cessit.

# DISPOSITIO

ORATIONIS PRO ARCHIA

poëta, autore PHILIP. ME<sup>o</sup>  
LANCHTHONE.



Nitio δικονομία xp Exordij trademus. De reliqua oratione, & de caussa postea dicturi sumus. Ac multas utilitates adfert hæc ratio distribuendarum sententiarum, qua hic utemur. Primum enim uoluntatem uniuscuiusq; authoris is deum rectè adsequi poterit, qui seriem omnium sententiarum contemplabitur, & animaduertet quomodo inter se consentiant. Deinde cùm in alienis scriptis rationem coniungendi sententias animaduerterimus, scribemus & ipsi magis cohærentia. Plurimum itaque prodest hæc diligentia consyderandæ dispositionis in oratione, tum ad imitationem, tum etiam ad iudicandum. Nam etiamsi nihil scripturi sumus, tamen hac ratione iudicandi de alienis scriptis, carere non possumus.

Locus Exordij sumptus est ex Communi loco, scilicet ex officio referende gratiæ. Nulla est autem efficacior ratio conciliandæ benevolètiæ, quam que

que ab honesto aut ab officio ducitur. Estq; hec propositio, ex qua totū Exordiū nascitur, in prima periodo posita, Ego debeo Archiā tueri, ut referā ei gratiā. In secūda periodo sequitur ἀριθμούλα, hoc est, phatio huius sententiae, quia Archias adiuuit hoc meū studiū dicendi. Tertiū est addita Conclusio. Cum beneficio Archiæ alijs opem ferre possum, conuenit ut ipsum quoque defendam. Cum sententiae ad hunc modum detractis ornamentis digeruntur, facile postea est uidere quæ ornamenta accedant. Prima periodus continet Incrementum: nam hæ cognatæ species ad unam sententiam amplificandi caussa referuntur, ingenium, exercitatio, ratio, id est, ars. In secunda periodo penè nullum est ornementum, tantum fecit mentionem Circumstantiae, ne nimis brevis esset Circunductio. Conclusio est facta Enthymematis modo, & est repetitio duarum periodorum superiorū. Cum hæ uox sit ab Archia ad salutem aliorum adsuefacta, ergo debet etiā Archiæ prodeſſe. Nam omissa est Maior absoluens Syllogismū, Acquum est, ut quisque fructum ferat sui beneficij. Tametsi hanc rationem subindicat, cùm quedam uerba ab ea mutuantur.

Deinde sequuntur Occupationes due. Prima. Quomodo potest Poëta adiuuare Oratorem? Respondebit breuissimè, quia omnes artes cognatae sunt, & se mutuò adiuuant. Altera Occupatio est. Videatur ineptum in foro loqui de artium & literarum studijs,

studijs, id quod iam fecit Cicero, & paulò post copiosius faciet. Hoc excusat sumpto argumēto à persona Archiae, quia pro poëta ita conueniat dicere, ne magis etiam perturbetur ille, qui nunquam ueratus est in iudicijs, si res agatur usitata cōtentione.

Oratio est generis Iudicialis. Status caussæ est, quia Archias sit ciuis Romanus. Et hec est principalis Propositio, ad quam referre argumēta oportet. Hæc in tota oratione ob oculos uersari debet, cuius si quis oblitus fuerit, non intelliget reliquam orationem. Nā in omnibus caussis in primis oportet principalem propositionem meminisse. Et autem Status Iudicialis. Argumenta ducta sunt à Lege, & à Testibus. Nā hi proprij loci sunt questionū iudicialiū.

Sed preter hec, longissimū argumentum à persona Archiae & ab artium dignitate tractum est. Illæ laudes propriè ad genus Demonstratiūnū pertinent, sed inde mutuamur sèpe argumenta ad iudiciales caussas, quia dignitas personarum cōciliat fauorem iudicūm, & reddit caussam magis probabilem & uerisimilem. Ita & hic argumentatur Cicero. Quia Archias magna facultate ingenij præditus est, ergo credibile est eum ciuitate donatum esse. Itē, quia tali est ingenio, meretur retineri in ciuitate. Genus dicendi in hac oratione initio summīssum, & ut uocant, Atticum est. Neque enim longis circumductiōnibus, aut expolitionibus, aut figuris procul accersitatis usus est. Multæ breues sunt periodi, & propria oratio.

oratio. Postea circa finem aliquanto floridior est oratio.

Narratio continet propemodum historiam uitæ Archiæ & peregrinationū, ex quibus peruenit eo, ut doceat quomodo ius ciuitatis consecutus sit ex lege. Et est ad finem narrationis Syllogismus additus, ubi primo loco ponitur Conclusio, Data est ciuitas. Deinde Maior, Omnes qui in socijs ciuitatibus adscripti sunt, si in Italia, cum lex ferretur, domiciliū habuerūt, & professi sunt intra dies LX. apud prætorē, &c. sunt ciues, Archias adscriptus est Heracleæ, & habuit domicilium Rome, & professus est, &c. Ita clauditur Narratio, nō repetita Cōcluſione proprijs uerbis, sed quadam generali adseueratione, quia necesse intelligi Conclusionem recitato Syllogismo, si nihil nisi de ciuitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, causa dicta est.

Deinde sequitur Cōfirmatio, antequam non repetit Propositionem suprà positam ante Narrationem, sed tantum de Minore adseuerat, quia Minor est regivōus&vop, ideo habet opus probatione. Et ut causæ summam complecti animo possis, Syllogismū suprà positum meminisse oportet. Omnes inscripti in socijs ciuitatibus, &c. sunt ciues. Archias est inscriptus, ergo Archias est ciuis. Maior nihil habet ambigui, minor autem est incerta. Propterea tota Confirmatio uersatur in Minore probanda, & habet locos à Testibus & Tabulis, quod sit Heracleæ adscriptus,

adscriptus, quod sit professus. Postea addit verisimile ex Minore, multi alij leuorum artium periti, adscripti sunt in socijs ciuitatibus. Ergo uerisimile est & hunc adscriptum esse. Postremo addit signa Romani ciuis, adiit haereditates, testamentum fecit, in beneficijs ad aerarium delatus est, id est, aerario pecuniam donauit ex testamentis.

Quia cauſſa per ſc tenuis et exigua eſt, reddit eam ſplendidiorem & illuſtriorē addito loco conmuni de laude literarum. Et cum ſuprā argumenta à re ſeu cauſſa traxerit, hic à persona dicit argu- mentum, Archias eſt homo literatus & poëta, ergo eſt dignus quem in ciuitate retineamus. Transfert igitur orationem ab Hypothesi ad Thesin, id eſt, ad locum communem, ſclicet, Omnes ſtudiosi ſunt colendi. Sed ut modeſtē predicit Archiam, ne immo dice laudes noceant ei, transfert rem in ſuā per- ſonam, dicit ſe plurimi facere Archiam. Eſt ergo propositio. Ego magnifico Archiam. Sequitur ra- tio Enthymematis forma, quia eius ſtudia proſunt mihi ad delectationem, deinde etiam ad utilitatem in hac forenſi facultate dicendi. Et huic rationi eſt ſubiecta breuiſ uel comprobatio uel repetitio. Se- quitur Occupatio. Tu ne igitur fateris te uersari in literis? Ad hoc respondet per confeſſionem, & ſubi- cit tres cauſſas finales. Prima eſt, Ita uerſor in li- teris tanquam in ludis, ut tamen non abducatur à ne- gocijs. Secunda, Ex literis crescit mihi facultas dia- cendi.

cendi. Tertia, Literæ etiam gubernant meos mores,  
et cōfilia regenda Reip. Et addit rationem, Quia  
literæ continent doctrinam bene uiuendi. Et hanc  
sententiam illuminat per interpretationem, nonni-  
hil mutatis uerbis.

Sequitur Obiectio. Num igitur nulli sunt ma-  
gni uiri sine doctrina? Primum Concessione utitur,  
quod multi uiri magni sine doctrina fuerint. Et ad-  
dit Rationem, quia magna naturæ uis est. Deinde  
subiicit Correctionem, multum tamen conductit do-  
ctrina, et perfectum quiddam existit cum ad naturam  
bonam accesserit. Id probat Exemplis. Postremo clau-  
dit hanc disputationem repetitione caussæ finalis le-  
uioris, uidelicet, quod delectationis caussa literie non  
sunt aspernanda. Et amplificat hunc finem per Colla-  
tionem, nulle die uoluptates perinde sunt perpetuae.  
Porro distributio fit temporum, agunt senectutem, &c.

Hactenus de sua persona tantum dixit Cicero,  
hic Transitionem facit, et probat debere iudices  
etiam admirari artem, et est argumentum à genere  
artis tractum. Ars est digna admiratione, ergo etiā  
Archias magni faciendus est. Et similitudine reddit  
perspicuum argumentum. Sicut celeres motus erant  
corporis Roscij, qui magnopere delectabant. Et c. ita  
sunt ingenij Archie. Accedit probatio, quia multis  
uersus ex tempore fundit. Sequitur argumentum à  
differentia poēticas. Distinguit enim Antithesi poē-  
tica ab alijs artibus, et hac est Enthymematis sum-  
ma,

ma, Poëtica est diuina, ergo poëte sunt tractandi hu-  
maniter & colendi. Et adiecit Amplificationem ex  
laude musices, dulcam ex maiore, Saxa respondent  
nocibus, bestiae flectuntur cantu, ergo & nos ame-  
mus carmen.

Hactenus recitauit argumēta sumpta à perso-  
na Archie extra caussam, quod in ciuitate retinen-  
dus sit, quia sit poëta. Nunc subiicit exempla eodem  
pertinentia, sicut aliae ciuitates honore adfecerunt  
poëtas, ita & nos Archiam honore adficere debe-  
mus. Homerum multi sibi uendicant, ergo & nos  
retinecamus Archiam. Additus est adfectus, nemo no-  
fauet suis laudibus, Archius autem descriptis laudes  
Pop. Ro. Recitat igitur argumēta quedam poëma-  
tū Archiae. Deinde subiicit Scipionis exēplū. Scipio  
Enniū honore affectit, ergo et uos hūc honore adisci-  
te. Accedit aplificatio à Greca lingua. Plures legūt  
Greca & Latina: at Archias Grece scribit, melius ige-  
tar scribit & Ennius. Addita est aplificatio ab utilia-  
tate scriptorū, quia gloria ad uirtutē incitat, scripta  
autē gloriam pariunt, quia retinent memoriam rerū  
gestarū, ergo scripta illa ad uirtutem incitant. Se-  
quitur igitur scriptores esse dignos qui omni officijs  
genere colantur. Adiectum est exemplum de Achila-  
le & Homero. Achillis memoriam retinuit Home-  
rus. Item, Pompeius iudicauit hęc scripta gloriam  
adferre, &c. Accedunt & alia exempla Sylle &  
Metelli, qui poëtis delectati sunt. Et Schema ex Mi-

nore interpositum est, quod facit uerisimilem. Ar-  
chie causam, si alios poëtas studiose audierunt no-  
stri Imperatores, ergo uerisimile est eos ex hunc  
audiuisse, & facile concessisse ciuitatem. Postea ad-  
ditur αὐτολογία ex communi sententia. Trahimur  
omnes cupiditate laudis. Hæc sententia Brutii &  
Fulvij exemplis cōprobata est. Sequitur breuis Con-  
clusio, postquam suum exemplum commemorat, Et  
ego laude delector, & cum res meas gestas Archias  
descripserit, bene uolo illi. Sequitur repetitio loci  
communis, quod gloriae & immortalitatis cupiditas  
hæret in animis, que ad res magnas gerendas exu-  
scitat, estque argumētum à caussa finali ductum.  
Omnes gloriam appetimus tanquam finem laborū,  
quare hi qui monumenta condunt, honore afficien-  
di sunt. Et hæc sententia Rhetorica expolitione est  
uariata, uerbis quater mutatis res eadem repetitur.  
Virtus appetit gloriam, Nemo tantos labores, tanta  
pericula susciperet, nisi laudis amore duceretur. Illa  
glorie cupiditas hæret in animis, que ad agendum  
exuscitat. Turpe esset magnis uiris et in Rep. uera-  
santibus, si ea essent opinione, simul cum ipsis mo-  
rituram esse memoriam omnium que gesserunt. Hic  
subinde uides eandem sententiam paulum modò ua-  
riatam repeti. Multum accedit lucis, cum & locus  
argumēti notatus est: dixi enim à caussa finali sum-  
ptum esse, & Elocutionis figuræ ostense sunt. Nam  
hic sententia ualde redditur perspicua, si moneatur  
lector,

lector, rem eandem dici, tantum uariata forma ora-  
tionis.

Amplificatio in fine addita est, uel à Simili, uel  
ex Minore. Si corporum statuas relinquere cupimus,  
multo magis poëmata relinquenda erunt, quia sunt  
durabiliora, & sunt imagines animorum & consi-  
liorū. Est autē sumptus hic locus ex Isocr. Euagora,  
Εγώδε, ὃ Νικόντειος, ἥγουμεν μὲν οὐκέται κα-  
λα μυκητία καὶ τοὺς τῷρ σωμάτεων ἐκόνας,  
πολὺ μέγιστοι πλείονος ἀξίας τὰς τῷρ πράξε-  
ων καὶ φύσιαν οἰκονόμας, αἵ τοις λόγοις ἡρή τις  
μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχοσι δεωρήσεται. Postea

sequitur Peroratio, que continet Depre-  
cationem, in qua argumenta causae  
breuiissimè repetuntur, ut  
fit in Epilogis.

Τέλος.

Ditij

PARAPHR. IN  
PARAPHRASIS PHI-  
LIPPI MELANCHTH.



GO nisi parum gratus existimari uelim, hanc meam dicendi facultatem, si qua est, ad salutem defensionemq; Archit; cōserre debeo. Nam hic mihi inde usque à prima atate autor adiutorq; ad hec Eloquencie studia suscipienda atque colenda, semper fuit. Quare cū alijs opem ferre soleam, multò equius est, ut Archiam defendam, à quo plurimum in hoc studio adiutus sum, ut aliquē beneficij sui fructū ferat. Sed miretur q̄ spīā, qui potuerit me in hac forensi ratione dicēdi adiuuare Archias, qui cū sit poëta, in dissimili genere artium uersatur. Verum hac de re ita statuetis, discipinas omnes tanquam foedere quodam inter se copulatas, atque coniunctas esse. Quare etiā hec ratio dicendi multum à poëtis sumit. Est autem hoc loco uenia etiam nūbi petenda, quod in foro atque iudicio, prater consuetudinem de studijs literarum multa dicturus sim. Nam id spero nūbi uos, propter hunc reum concessuros esse, quem uerebar animo debiliore futurū esse, si usitata contentione causam agi uideret, cū antea nunquā in iudicijs uerfatus sit. Quamobrem nouo genere orationis confirmandus nūbi fuit. Proinde si me benigne audietis, efficiam,

efficiam, ut illum non modo ciuem esse statuatis, sed etiam si ciuis non esset, dignum esse cui ciuitas do-  
netur, intelligatis.

Ego Iudicem, non adducor leibus causis, cur Archiam plurimi faciam, quia magnū ex studijs eius fructum capio, tum ad oblationem, tum etiam ad hanc orationis copiam conseruandam. Neque enim sustinere possem, hanc in foro contentionem, nisi mātioribus studijs interdum relaxarem animum atque recrearē. Et aresceret hæc facultas dicendi, nisi doctrina aleretur. Non enim disimulo me in studijs literarum uersari, presertim, cum me neque à Reipub. neque ab amicorum negotijs abducant. Numquam enim me, uel commoda mea, uel ocij cupiditas, uel inertia uel uoluptates remorat, & sicut, quo minus aut Reipub. aut amicis, necessario ipsorum tempore, operam dederim. Quare concedi mihi pe-  
to, si quantum temporis alij ponunt in alea, in con-  
uiuijs, in spectandis ludis, tantum ego in literis col-  
loco. Idque eam ob causam & quius est mihi per-  
mitti, quia ad alios inde non exigua utilitas re-  
dit. Hæc enim oratio fit uberior ex illis studijs, que multorum salutem defendere solet. Præterea, maiori-  
rem etiam utilitatem ex illis literis capio. Nam au-  
toritate carum commotus, nihil antiquius virtute du-  
co. Nullum pro salute Reip. disserimen adire unq;  
dubitau, nec me à defensione Reipub. uoluptas unq;  
aut metus illius retraxit. Video enim in literis ha-

Narrationē  
& Confirma-  
tionē primā  
a Lege ductā  
omisit. Locus  
Cōmuniſ bas-  
bet Paraphra-  
ſin de studijs.  
Prodest autē,  
ad sententiā  
oratiōis mei  
lius intelligē-  
dam, & per/  
spiciendū or-  
dinem Argu/  
mentorū, con-  
ferre Para/  
phrasin ad Cī-  
ceronem.

D. iij nesciſſima

nestissima præcepta proposita, video exempla à do-  
ctis hominibus mandata memorie, hanc ob cauſam,  
ut ea exprimeremus atq; imitaremur in omni uia-  
ta. In que ego intuens, ad uirtutem et ad decus ex-  
petendum, accendi me sentio.

Sed quia uim harum artium tantopere predi-  
cas, queret aliquis fortasse, an nemo unquam ex-  
titerit uir magnus sine doctrina, cū quidem in hac  
Rep. constet, sine literis multos fortissimos & mo-  
deratissimos uiros, & peritisimos Reip. regendae  
fuisse? Ego uero non nego, multos naturæ benefi-  
cio, ac penè diuinitus ad uirtutē factos, sine doctrina  
præstantes uiros extitisse. Magna enim in omni  
genere naturæ uis, adeò ut plus ad uirtutem conse-  
quendam felix natura sine doctrina ualeat, quam  
sola doctrina repugnante ingenio et inuita Miner-  
ua, quod aiunt. Quanquam autem hoc ita sit, tamen  
illud etiam affirmare ausim, perfectam sapientiam ac  
uirtutem, ita deum existere, cum ad bonam naturā  
ratio doctrinique accesserit. Sunt enim impetus  
quosdam à natura uirtus, que literis & doctrina  
perficienda est. Viderunt Patres nostri Aphricanus,  
Lælium, & Catonem, qui acerrimum studium, ad has  
artes contulerunt. Neque uero existimari debet, ta-  
les uiros in tanta uarietate occupationum, hec stu-  
dia attingere uoluisse, nisi sensissent ea magnū mo-  
mentum ad colendam uirtutem adferre. Sed ut null-  
la maior utilitas inde percipi possit, tamen expen-

da uidentur delectationis cauſſa. Nam alię uolupta-  
tes non ſunt perpetuae. At hęc ſtudia delectant in  
omni etate atque fortuna. Exercent adolescētiam,  
exhilarant ſenectutem, ſecundas res ornant, in ad-  
uersis leniunt animi curas. Hactenus de nīc dixi, cur  
Archiam plurimi faciā. Non dubito autem, quin &  
nos ei, propter artis ſuauitatem, bene cupiatis. Ut  
enim Rofciū omnes admirabamur, ac diligebamus,  
propter uenustatem, quam in corporis motu adhibe-  
bat, ita in hoc iūgenij celeritas, fauorem meretur.  
Sepe enim uidi Archiam ex tempore magnum nu-  
merum uersuum effudentem, cum literam nullam  
ſcripſiſſet, ac rurſus eandem ſententiam commutatis  
uerbis ornatiſimè explicantēm. In his uero que ma-  
iore cura ſcribit ac compōnit, ne ueteribus quidem  
ulla ex parte cedit. Quis igitar eum nō amet? quis  
non defendat? quis non omni officiū genere proſea-  
qui uelit? At reliquas artes ferunt praeceptis con-  
ſtare, poētas uero diuina quadam ui commoueri.  
Quanobrem Ennius, eos appellat sanctos, hoc est,  
religione quadam colendos. Proinde & nos reue-  
rentia quadam poētici nominis tangi couenit, præ-  
ſertim cum carmine moucantur ſaxa etiā ac bestiae,  
quanto magis nos, ad humanitatēm optima discipli-  
na institutos, uoce poētarum moueri decet?

Homerum multe ciuitates mortuum repetunt,  
tanquam ſuum: nos unum Archiam, qui iure in no-  
ſtrā ciuitatēm peruenit, non retinebimus, cum quie-  
dem

dem de nobis preclare meritus sit? Nemo suis laudibus nō fauet. Nos igitur Archie, qui res preclarę gestas Populi Romani, carmine cōplexus est, fūere debemus. Descripsit enim Cymbrorū cladem in Italia acceptā. Descripsit & Mithridaticū bellū. Pertinent enim ad Populi Romani gloriā res geste nostrorū Imperatorū. Scipio honore affectit Ennium, & non modò uiuū coluit, sed mortuū etiā in sepulchro Scipionū collocauit. Hic celebrauerat Catonem & alios egregios ciues, que res cū ad Populi Romani gloriā pertinere iudicaretur, ciuitate donatus est Ennius, ignobili natus loco, in oppido Rhodijs. Quanto minus decet, nos hunc Archiam, in sociā ciuitate Heraclea adscriptū, ciuitate ejēcere, præserūt cū Græcē res gestas Populi Romani cōscripta rit. Maiorem enim gloriā pariunt Græcē q̄ Latinē scripta, quia Græca lingua plures gentes utuntur quam nostra: At cūn famam uirtutum nostrarū, ad eas etiam gentes peruenire cupiamus, quō nondum arma nostra penetraverūt, ornare eas literas debemus, que nominis Romani noticiam eō perferunt.

Huc accedit quod scriptores non vulgariter de Rep. merentur, qui quia memoriam rerū preclarę gestarum retinent, excitant homines ad uirtutis studiū. Nullum enim efficacius incitamentū est periclorū ac laborū, quām gloria. Atq; ita iudicasse Alexandru apparet, viros fortes ac magnos glorie dulcedine tangi. Nam cū ad Achillis tumulū astigit  
scit.

set, pronunciauit illum hoc nomine fortunatū fuisse, quod Homerū praeconem nactus esset, quasi amplissimum uirtutis præmiū illi contingisset. Etenim q; absq; Homero fuisset, ipsum etiam nomen Achil- lis obliuione oblitū fuisset. Noster Pompeius pro con cione poëtam quendam ciuitate donauit, idq; cōproba uit exercitus. Delectabat enim eos, quod ros gestæ ipsorum mandata literis, non tantum in præsentia, sed etiā ad posteros gloria ipsis pariture erant. Cum autem Imperatores nostri hanc ob caussam, sepè scrip toribus honorem habuerint, uerisimile est & Archiam, si ciuis non esset, facile ius ciuitatis ab aliquo impetrare potuisse. Sylla enim, cū etiam incepto poëte præmiū dari iussit, hunc, propter singularē ingenij uim atq; copiam, maximē admiratus esset. Q. Metellus Hispanicos poëtas in ciuitatem assciuit. At ab hoc facile uel per se, uel per Luculos idem impetrare Archias potuit. Neq; enim dissimulari hoc potest, gloriæ cupiditatē animis omnium innata esse. Hanc ipsi etiam Philosophi, cū de contemnenda gloria præcipiunt, adfectant. Hanc propositam habuerunt nostri Imperatores, qui in publicis monumentis carmina perscribi curauerūt, in quibus nomina eorum extarent. Ego, ut ingenuè fatear, incredibili uoluptate afficior, cum huius poëma recitari audio, quod de rebus in Cōsulatu meo pro salute Reipub. gestis inchoauit. Nullū enim uirtus præmiū copio sius desyderat, q; laudem atq; gratā memoriam la borum.

## 60 PAR. IN ORAT. PRO ARCH.

borum. Hanc omnes expetunt atq; ambiūt. Est enim  
insita quedā gloriæ cupiditas omnibus, que extinu-  
lat, ut memoriam nominis nostri ad posteros exten-  
damus. Nemo enim tantos labores susciperet, nemo  
tot pericula subiret, si nulla cura immortalitatis tan-  
geretur, si arbitraretur, secū memoriam omniū labo-  
rum interitaram esse, si non ob oculos spes quēdā  
immortalitatis obseruaretur. Et cū uoluptas que-  
dam sit, statuas & corporū simulachra relinqu-  
re, quanto magis optandū est ut extente animorum  
& consiliorū nostrorum imagines, arte summa fa-  
cte atq; elaboratæ. Ego quidē in ijs rebus, quas ges-  
si, iam tum in uniuersam posteritatem intuebar, &  
illius calculis probari consilia mea cupiebam. Et siue  
post mortem sensus aliquis est animorū, ut sapientia  
issimi homines maluerūt, siue nullus est sensus, nūc  
tamen hæc me consolatio ac spes delectat reputan-  
tem famam rerum gestarum, à me ad posteritatem  
peruenturā esse. Queso igitur uos iudices, cū caus-  
sa legis autoritate defensa sit, in ipso autē reo tan-  
ta sit dignitas, ut eum in ciuitate retinendum esse  
statuatis. Erit humanitatis uestra, talem uirum di-  
uina qusdam ui ingenij prædictum, quod quidem to-  
tum ad ornandū Populi Romani nomen contulit, li-  
berare. Ego quæ de cauſa dixi, ita plana esse con-  
fido, ut nemini dubia uideri possint. Quæ extra cau-  
sam de studiorum laude dixi, existimo uos boni con-  
sulere.

# M· T· CICE<sup>61</sup>

RONIS PRO AVL. LICI<sup>z</sup>  
nio Archia poëta Oratio.



I quid est in me in- Propositio  
Exordij.  
genii iudices, quod  
sentio quām sit exi-  
guū : aut si qua ex-  
ercitatio dicēdi, in  
qua me nō inficiar  
mediocriter esse versatum: aut si hu-  
iusce rei ratio aliqua ab optimarū  
artium studiis & disciplina profe-  
cta, à qua ego nullum cōfiteor æta-  
tis meæ tempus abhorruisse: earum  
rerum omniū vel in primis hic A.  
Licinius fructū à me repetere pro-  
pè suo iure debet. Nam quoad lon-  
gissimè potest mens mea respicere,  
spacium præteriti temporis, & pue-  
Ratio.  
ritiæ

ritiæ memoriam recordari vltimā,  
inde usq; repetens, hunc video mi-  
hi principem, & ad suscipiendā &  
ad ingrediendam rationēm horum  
**Conclusio** studiorum extitisse. Quod si hæc  
vox huius hortatu præceptisq; cō-  
firmata, nonnullis aliquando salu-  
ti fuit: à quo id accepimus quo cæ-  
teris opitulari, & alios seruare pos-  
semus, huic profecto ipsi, quantum  
est situm in nobis, & opem & sa-  
**Occupatio** lutem ferre debemus. Ac ne quis  
à nobis hoc ita dici forte mire-  
tur, quod alia quædam in hoc fa-  
cultas sit ingenii, neque hæc dicen-  
di ratio aut disciplina, nec nos qui-  
dem huic cūcti studio penitus vn-  
**Solutio Oc-** quā dediti fuimus. Etenim omnes  
cupationis. artes, quæ ad humanitatem perti-  
nent, habent quoddā cōmune vin-  
culum,

culum, & quasi cognatione quadá,  
inter se continentur. Sed ne cui ve-  
strum mirum esse videatur, me in  
**Quæstione legitima**, & in iudicio  
publico, cum res agatur apud Præ-  
torem Po. Romani lectissimum vi-  
rum, & apud sacerdotes Iudices,  
tanto conuentu hominum ac fre-  
quentia, hoc vti genere dicendi,  
quod non modò à consuetudine iu-  
diciarum, verùm etiā à forensi ser-  
mone abhorreat, quæso à vobis, vt  
in hac cauffa mihi detis hanc ve-  
niam accommodatam huic reo, vo-  
bis, quemadmodum spero, non mo-  
lestam, vt me pro summo poëta, ac  
eruditissimo homine dicetem, hoc  
concursu hominum literatissimo-  
rū, hac vestra humanitate, hoc de-  
nique Prætore exercente iudicium,  
patiamini de studiis humanitatis

Occupatio.

ac literarū, paulò loqui liberius, &  
in eiusmodi persona, quæ propter  
ocium ac studium minimè in iudi-  
ciis periculisq; tractata est, vti pro-  
pè nouo quodam & inusitato gene-  
re dicēdi. Quòd si mihi à vobis tri-  
*Propositio  
causæ.* bui cōcedi q; sentiam, perficiā pro-  
fectò, vt hunc Aulum Liciniū non  
modò non segregandum, cum sit ci-  
uis, à numero ciuium, verū etiam si  
non esset, putetis affiscendum fui-  
*Narratio.* se. Nā vt primū ex pueris exce-  
sit Archias, atq; ab his artibus, qui-  
bus ætas puerilis ad humanitatem  
informari solet, se ad scribendi stu-  
dium contulit, primū Antiochię  
(nā ibi natu se est loco nobili, et cele-  
bri quondam vrbe et copiosa, atque  
eruditissimis hominibus liberalif-  
simisq; studiis affluent) celeriter  
*Gradatio.* antecellere omnibus ingenii gloria  
cōtigit.

contigit. Post in ceteris Asiae parti-  
bus, cuncteque Græciæ, sic eius adué-  
tus celebrabatur, ut famam ingenii  
expectatio hominis, expectationē  
ipsius aduetus admiratioq; supera-  
ret. Erat tum Italia plena Græca-  
rum artium ac disciplinarum, stu-  
diisque hæc & in Latio vehemen-  
tius tum colebantur, quam nunc  
iisdem in oppidis, & hic Romæ  
propter tranquillitatem Pop. Ro-  
mani non negligebantur. Itaque  
hunc & Tarentini & Regini &  
Neapolitani, ciuitate cæterisq; pre-  
miis donarūt, & omnes qui aliquid  
de ingeniis poterant iudicare, co-  
gnitione atque hospitio dignum  
existimarunt. Hac tanta celebrita-  
te famæ cū esset iam absentibus no-  
tus, Romam venit Mario cōsule &  
Catulo. Nactus est primū Consu-

E les

les eiusmodi, quorum alter res ad  
 scribendum maximas, alter cum res  
 gestas, tum etiam studium atque au-  
 res abhibere posset. Statim Lucul-  
 li, cum pretextatus etiam tum Ar-  
 chias esset, eum in domum suam  
 receperunt. Sed enim hoc non so-  
 lum ingenii ac literarum, verum e-  
 tiam naturae atque virtutis fuit, ut  
 domus, quae huius adolescentiae pri-  
 ma fuit, eadem esset familiarissima  
 senectuti. Erat temporibus illis iu-  
 cundus Q. Metello illi Numidico, et  
 eius Pio filio, audiebatur a M. Ae-  
 mylio, viuebat cum Q. Catulo, &  
 patre & filio, a Lucio Crasso cole-  
 batur. Lucullos vero & Drusos &  
 Octauios & Catonem & tota Hor-  
 tensiorum domum, deuinctam con-  
 suetudine cum teneret, afficiebatur  
 summo honore, quod eum non so-  
 lum

lum colebant, qui aliquid percipere aut audire studedant, verum etiam si qui forte simulabant. Interim sa-  
tis longo interuallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et  
cum ex ea provicia cum eodem Lucul-  
lo decederet, venit Heracleam, quæ  
cum esset Civitas equissimo iure ac  
födere, adscribi se in eam ciuitatē  
voluit, idque cum ipse per se dignus pu-  
taretur, tum autoritate et gratia Lu-  
culli ab Heracliensibus impetravit.

Data est ciuitas Syllani lege et Car. *Conclusio*:  
bonis, si qui fœderatis ciuitatibus  
adscripti fuissent: si tum cum lex fe-  
rebatur in Italia domiciliū habui-  
sent, et si sexaginta diebus apud Pre-  
torem essent professi. Cum hic domi-  
ciliū Romæ, multos iam antea an-  
nos haberet, professus est apud præ-  
torem Q. Metellum familiarissi-

E ii mum

*Epilogus*

*Narratio-  
nis.*

*Propositio-  
confirmata-  
tionis.*

*Confirmata-  
tio à testib.*

*Collatiofi-  
dei & Ta-  
bularum.*

mum suum. Si nihil aliud nisi de ciuitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, caussa dicta est. Quid enim horum infirmari Gracche potest? Heracleæ ne esse cum adscriptum negabis? Adeo vir summa authoritate & religione & fide M. Lucullus, q se nō opinari sed scire, non audiuisse sed vidisse, nō interfuisse sed egisse dicit. Ad sunt Heraclieſes Legati nobilissimi homines huius iudicii caussa, cū manda tis & cū publico testimonio vene rūt, qui hūc adscriptū Heraclieſem dicūt. Hic tu tabulas defyderas Heraclienſium publicas, quas Italico bello incenso tabulario interiisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea quæ habemus nihil dicere, quare re quæ habere non possumus, & de hominum memoria tacere, literarū memoriam

memoriam flagitare. Et cùm habeas amplissimi viri religionem, integrimi municipii iusurandum fidemq; ea quæ deprauari nullo modo possunt, repudiare: tabulas, quas idem dicit solere corrumpi, defyde rare. At domicilium Romæ nō habuit is, qui tot annis ante ciuitatē datam, sedem omnium rerū ac fortunarum suarum Romæ collocauit? At non est professus. Immo vero his tabulis, quæ solæ ex illa professione collegioque Prætorum obtinenter publicarum tabularum authoritatem. Nam cum Appii tabulae negligentius adseruatæ dicerentur, Gabiique quam diu in columis fuit leuitas, post Damnationem, calamitas omnem tabularum fidem resignasset, Metellus homo sanctissimus modestissimusq; omniū, tan-

E iii ta

ta diligentia fuit, vt ad L. Lentulum prætorem, & ad iudices ven-  
rit, & vnius nominis litura se com-  
motum esse dixerit. His igitur ta-  
bulis nullam lituram in nomen A.

## Conclusio

Licinii videtis. Quæ cùm ita sint,  
quid est quòd de eius ciuitate dubi-  
tatis, præsertim cùm aliis quoq; in  
ciuitatibus fuerit adscriptus? Et

Amplifica-  
tio à uerifi-  
mili ex mi-  
nore.

enim cum mediocribus multis, &  
aut nulla, aut humili aliqua arte  
præditis, gratuitò ciuitatem in Grè-  
cia homines impertiebantur, Rhe-  
ginos credo, aut Locréses, aut Nea-  
politanos, aut Tarétnos, quod Sce-  
nicis artificibus largiri solebant, id  
huic summa ingenii prædicto gloria  
noluisse? Quid cù ceteri nō modò

Quæ iussit  
urbe exce-  
dere omnes

post ciuitatē datā, sed etiā post legē  
Papiā, aliquo modo in eorū munici-  
piorū tabulas irrepserūt? Hic q; nec  
vtitur

vtitur quidē illis in quibus est scri-  
ptus, quod semper se Heracliensem  
ciuē esse voluit, reiicitur? Census  
nostros regris scilicet. Est enim ob-  
scurum proximis Césoribus, hunc  
cū clarissimo Imperatore L. Lucul-  
lo, apud exercitum fuisse, superiori-  
bus cum eodem Quæstore fuisse in  
Asia, primis Iulio et Crasso, nullam  
populi partē esse censam. Sed quo-  
niā Census nō ius ciuitatis confir-  
mat, ac tantūmodò indicat eū qui  
sit cēsus, ita se iam tū gessisse pro ci-  
ue his téporibus, quæ tu criminaris,  
ne ipsius quidē iudicio in ciuium  
Romanorū iure esse versatū. Et te-  
stamētū sēpe fecit nostris legibus, et  
adiit hereditates ciuiū Romanorū,  
& in beneficiis ad ærarium delatus  
est à L. Lucullo Prētore & Consu-  
le, Quære argumenta si qua potes.

E. iiiii Nūquām

qui non ea  
rant ciues  
Romani.  
Pars cōsul  
tationis,

Nunquam enim hic neque suo neque amicorum iudicio reuincetur. Quæres à nobis Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis vbi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures cōuicio defessa cōquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego verò fateor me his studiis esse deditum, ceteros pudeat, si qui se ita literis abdiderunt, vt nihil possint ex his, neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita viuo iudices, vt ab illis nullo

*Comprobatio.*

*Occupatio.*

*Correctio.*

nullo vñquam me tempore aut cō- Congeries.  
 modum aut ocium meum abstra-  
 xerit , aut voluptas auocarit , aut  
 denique somnus retardarit. Quare A simili.  
 quis tandem me repræhendat , aut  
 quis mihi iure succenseat , si quan-  
 tūm cæteris ad suas res obeundas ,  
 quantum ad festos dies ludorum ce-  
 lebrandos , quantum ad alias volu-  
 ptates , & ad ipsam requiem animi  
 & corporis , conceditur temporū ,  
 quantum alii tribuunt tempestiuis  
 conuiuiis , quantum denique aleæ ,  
 quantum pilæ , tantūm mihi ego-  
 met ad hęc studia recolenda sum-  
 pfero. Atque hoc ideo mihi conce- A causis si  
 dendum est magis , quod ex his stu- milibus .  
 diis hęc quoque crescit oratio & fa-  
 cultas , quæ quantacunque in me  
 est , nunquam amicorum periculis  
 defuit . Quæ si cui leuior videtur , Ab altera  
 causa finali illa

illa quidē certē quæ summa sunt,  
ex quo fonte hauriam sentio. Nam  
nisi multorum præceptis, multis-  
que literis mihi ab adolescētia sua-  
fissimem , nihil esse in vita magnope-  
re expetendum, nisi laudem atque  
honestatem: in ea autem persequen-  
da , omnes cruciatus corporis , o-  
mnia pericula mortis atque exilii  
parui esse ducenda , nunquam me  
pro salute vestra in tot ac tantas di-  
micationes , atque in hos profliga-  
torum hominum quotidianos im-  
petus obiecisse. Sed pleni omnes  
sunt libri, plena Sapientum voces,  
plena exemplorum vetustas , quæ  
iacerent in tenebris omnia; nisi li-  
terarum lumen accenderet. Quām  
multas nobis imagines non solū  
ad intuendū, verū etiā ad imitan-  
dum fortissimorū virorum expres-  
sas,

sas, scriptores & Græci & Latini reliquerūt? Quas ego mihi semper in administranda Repub. proponens animum & mentem meam, ipsa cogitatione hominū excellentiū confirmabam. Quæret quispiam, quid illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditæ fuerunt? Difficile est hoc conceßio. de omnibus confirmare, sed tamen est certum quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo & virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu propè diuinò, per se ipsos & moderatos et graves extitisse fateor. Etiam illud adiungo, sepius ad laudem atq; virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cùm ad naturam

*Obiectio  
seu Occupa-  
patio.*

*Ratio, quia  
magna est  
sepe natura  
ra uis.*

*Correctio.*

Exempla.

Conclusio

Repetitio  
causæ fi-  
nalis.

Collatio.

naturam eximiam atque illustrem,  
accesserit ratio quædam confirma-  
tiōque doctrinæ , tum illud nescio  
quid præclarum ac singulare solere  
existere . Ex hoc esse hunc numero,  
quem Patres nostri viderunt , diui-  
num hominem Aphricanum . Ex  
hoc C. Lelium, L. Furium, mode-  
stissimos homines & continentif-  
simos . Ex hoc fortissimum virum,  
& illis temporibus doctissimum,  
Catonem illū senem . qui profecto,  
si nihil ad percipiendā colendamq;  
virtutem literis adiuuarentur, nun-  
quam se ad earum studium contu-  
lissent . Quod si non hic tantus fru-  
ctus ostenderetur, et si ex his studiis  
delectatio sola peteretur , tamen ut  
opinor, hanc animaduersionem hu-  
manissimam atque liberalissimam  
iudicaretis . Nam ceteræ res, neque  
temporum

temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatiū præbent. delectant domi, non impe- diunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quòd *Transitio.* si ipsi hęc neque attingere, neq; sen- su nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus etiam cum in aliis videremus. *Quis nostrum tam similitudo* animo agresti ac duro fuit, vt Roscii morte nuper non commoueretur? qui cùm esset senex, mortuus tamen propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus, nos animorum incredibiles motus, celeri- *cōsequens.* tatemq;

tatēmque ingeniorū negligemus?

**Comprobatio.** Quotiens ego hunc Archiam vidi iudices (vtar enim vestra benignitate, quoniā me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quotiens ego hunc vidi, cum literā scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuū, de iis ipsis rebus quæ tum agebantur, dicere ex tempore? Quotiens reuocatum eandem rem dicere cōmutatis verbis atque sententiis? Quæ verò accuratè cogitatèque scripsisset, ea sic vidi probari, vt ad veterum scriptorum laudem perueniret. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendēdum putem? **Antecedēs.** Atqui sic à summis hominibus eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina & præceptis & arte cōstare, poëtam natura ipsa

ipsa valere, & mentis viribus excita-  
ri, & quasi diuino quodā spiritu af-  
flari. Quare suo iure noster ille En-  
nius sanctos appellat poëtas, q̄ qua-  
si Deorū aliquo dono atq̄ munere,  
cōmendati nobis esse videātur. Sit Cōsequens.  
igitur, iudices, sanctū apud vos hu-  
manissimos homines, hoc poëte no-  
men, quod nulla unquam Barbaria  
violauit. Saxa & solitudines voce Amplifica-  
tio à Maio  
re.  
respōdent, bestięs sēpe immanes can-  
tu flectuntur atq̄ cōsistunt, nos in-  
stituti rebus optimis nō poëtarum  
voce moueamur? Homerum Colo- Ab Exclu-  
phonii ciuē esse dicunt suum, Chii plo.  
suū vendicant, Salaminii repetunt,  
Smyrnæi verò suū esse confirmant.  
Itaq̄ etiam delubrū eius in vrbe de-  
dicarunt. Permulti alii prēterea pu-  
gnant inter se atq̄ contēdunt. Ergo  
illi alienum quia poëta fuit, etiam  
post

post mortē etiā expetūt, nos hūc vi-  
uū, qui et voluntate & legibus no-  
ster est, repudiabimus? p̄fertim cū  
omne olim studium atque omne  
ingenium contulerit Archias, ad  
Pop. Romani gloriam laudemq; ce-  
lebrandam. Nam & Cymbricas res  
adulescēs attigit. Etiam ipsi illi C.  
Mario, qui durior ad hēc studia vi-  
debatur, iucūdus fuit. Neque enim  
quisquam est tam auersus à Musis,  
qui non mandari versibus eternum  
suorum laborum p̄econium facile  
patiatur. Themistoclem illū sum-  
mum Athenis virū dixisse aiunt,  
cū ex eo quæreretur, quod ἀκρόαμα,  
aut cuius vocem libentissimē audi-  
ret? eius à quo sua virtus optimē  
prædicaretur. Itāque ille Marius  
item eximiè L. Plotium dilexit, cu-  
ius ingenio putabat ea quæ gesserat  
posse

*Ex meritis  
Archie.*

*Exemplum.  
Redit ad  
merita Ar-  
chie.*

posse celebrari. Mithridaticum verò bellum magnum atque difficile, & in multa varietate, terra mariq; versatum, totum ab hoc expressum est. Qui libri non modò L. Lucullum fortissimum & clarissimū virum, verum etiam Populi Romani nomen illustrat. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & Regiis quondam opibus, & ipsa natura regionis vallatum. Populi Romani exercitus eodē duce, non maxima manu innumera biles Armeniorū copias fudit. Populi Romani laus est, urbem amicis simam Cyzicenorum eiusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque seruatam. Nostra semper feretur ac prædicabitur L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus

F depressa

depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis. Nostra sunt trophæa, nostra monumēta, nostri triumphi, Quare quorum ingeniis hæc feruntur, ab his Populi Romani fama celebratur.

*Conclusio.* Charus fuit Aphricano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur esse cōstitutus. Et marmoratis labibus, certè nō solū ipsi qui laudantur: sed etiā Pop. Romani nomē ornatur. In cœlū huius proaups Cato tollitur, magnus honor Populo Romano adiungitur. Omnes deniq; il

*Ouid.*  
*Ennius e<sup>s</sup>e  
meruit Caz  
labris in  
montibus  
ortus Con  
tiguus po  
ni Scipio  
magne tibi.*  
li Maximi, Marcelli, Fuluii, non sīnē communi omniū nostrum laude decorantur. Ergo illum qui hæc fecerat rūdem tum hominē maiores nostri in ciuitatem receperunt, nos hunc Heraciensem multis ciuitibus

tibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra ciuitate eiiciemus? Nam si quis minorē glo-  
riæ fructū putat ex Græcis versibus <sup>Amplificatio à Græca</sup> percipi, quām ex Latinis, vehemen-  
ter ertat: propterea quòd Græca le-  
gūtur in omnibus ferè gentibus: La-  
tina suis finibus exiguis sanè conti-  
nentur. Quare si res hæ quas gessi-  
mus orbis terræ regionibus definiū-  
tur, cupere debemus, quò minus mā-  
nuum nostrarum tela peruererint,  
codem gloriam famāque penetra-  
re. Quod cū ipsis populis, de quo-  
rū rebus scribitur, hæc ampla sunt,  
tū iis certè, qui de vita gloriæ cau-  
sa dimicant, hoc maximum & pe-  
riculorum incitamentum est & la-  
borū. Quām multos scriptores re-  
rum suarum magnus ille Alexan-  
der secū habuisse dicitur? Atq; is

F ü tamen

tamen cùm in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, ô fortunate inquit adolescēs, qui tuæ virtutis preconem Homerum inueneris. Et verè. Nam nisi illi ars extitisset illa, idem tumulus qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adequauit? nonne Theophanem Mitylenēum scriptorem rerum suarum in concione militum ciuitate donauit? Et nostri illi fortes viri & rustici ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbabantur.

Ex minore mulem Ar- chie cau- sam. Itaque credo, si ciuis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo Imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit? Sylla verò cum Hispanos & Gallos donaret,

naret, credo hunc petentē repudias-  
set? quem nos in cōcione vidimus,  
cui cūm libellum malus poēta de  
populo subiecisset, quod Epigram-  
ma in eum fecisset, tantummodo al-  
ternis versibus longiusculis, statim  
ex his rebus quas tunc vendebat,  
iussit ei præmium tribui sub ea con-  
ditione, ne quid postea scriberet.  
Qui sedulitatem mali poētæ duxer-  
it aliquo tamen præmio dignam,  
huius ingenium & virtutem in scri-  
bendo & copiam non expetisset?  
Quid? à Q. Metello Pio familiaris-  
simo suo, qui ciuitate multos dona-  
uit, neque per se, neque per Lucul-  
los impetrauisset? qui præsertim  
usque eò de suis rebus scribi cupe-  
ret, ut etiam Cordubæ natis Poëtis,  
pingue quiddam sonantibus atque  
peregrinum, tamen aures suas de-

F iii deret.

*Ratio.*

deret. Neq; enim est hoc dissimulandum, quod obscurari nō potest, sed p̄t nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, & optimus quisq; maximē gloria ducitur. Ipsi philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, & in eo ipso in quo prædicationem nobilitatēmque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt. Decius quidem Brutus, summus ille vir et Imperator, Accii amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit suorum. Iam verò ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fulvius, nō dubitauit Martis manubrias Musis consecrare. Quare in qua vrbe Imperatores propè armati, poëtarū nomen, & Musarū delubra coluerunt, in ea non

*Conclusio.*

non debent togati iudices à Musarum honore, & à poëtarum salute abhorre. Atque ut id libentius faciatis, iam me vobis iudices indica-bo, & de meo quodā amore gloriæ, Probat à suo exempli plo.  
 nimis acri fortasse, veruntamen honesto, vobis confitebor. Nam quas res nos in Cōsulatu nostro vobiscū simul, pro salute huiusce vrbis atq; imperii, et pro vita omnium ciuiū, prōq; vniuersa Rep. gessimus, attigit hic versibus atq; inchoauit, qbus auditis, quod mihi magna res & iucunda visa est, hunc ad perficiendū hortatus sum. Nullam enim virtus Repetitio loci Coma munis, in qua eadem sententia aliter quoties mutatis uestibus est recpetita.  
 aliā mercedem laborum periculo-rūmque desyderat, præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta iudices, quid est, quòd in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tā breui, tātis nos in laboribus exerceamus?

F iiiij      Certè

Certè si nihil animus presentiret in posterūm , & si quibus regionibus vitæ spaciū circumscriptum est, iisdem omnes cogitatus terminaret suas, nec tantis se laborib⁹ frange-ret, neque tot curis vigiliisque an-geretur, neque totiens de ipsa dimi caret. Nunc insidet quædā in opti-mo quoque virtus , quæ noctes ac dies animum gloriæ stimulis conci-tat atque admonet , non cum vitæ tempore esse dimittemus comme-morationem nominis nostri, sed cū omni posteritate adequandam. An verò tam parui animi videamus es-se omnes, qui in Republica , atque in his vitæ periculis laborib⁹que versamur , ut cū usque ad extre-mum spaciū nullum trāquillūm atque ociosum spiritū duxerimus, nobiscū simul moritura omnia ar-bitremur?


bitremur? An cùm statuas & ima- *Ex minori.*  
gines, non animorum simulachra,  
sed corporum, studiosè multi sum-  
mi homines reliquerunt, confilio-  
rum relinquere ac virtutú nostra-  
rum effigiem, nónne multò malle  
debemus summis ingeniis expres-  
sam & politam? Ego verò omnia  
quæ gerebam, iam tum in gerendo  
spargere me ac disseminare arbitra-  
bar, in orbis terræ memoriam sem-  
piternam. Hæc verò siue à meo sen-  
su post mortem abfutura est, siue, ut  
sapientissimi homines putauerūt,  
ad aliquam animi mei partem per-  
tinebit, nunc quidem certè cogita-  
tione quadā, spéque delector. Qua-  
re conseruate iudices, hominem pu-  
dore eo, quem amicorū studiis vi-  
detis comprobari, tum dignitate,  
tum etiam venustate: ingenio autē  
*Peroratio,*  
*in qua bre-*  
*uißmē rea-*  
*petūtur ar-*  
*gumenta su-*  
*pratradat-*  
*ta.*


tanto,


tanto, quanto id conuenit existima-  
ri, quod summorum hominum in-  
geniis expeditū esse videatis, Caus-  
sa verò eiusmodi, quæ beneficio le-  
gis, authoritate municipii, testimo-  
nio Luculli, tabulis Metelli com-  
probetur. Quæ cū ita sint, petimus  
à vobis iudices, si quā nō modò hu-  
mana, verum etiam diuina in tantis  
negociis cōmendatio debet esse, vt  
eū qui vos qui vestros imperatores,  
qui Populi Romani res gestas sem-  
per ornauit, qui etiā his recentiori-  
bus nostris vestrisq; domesticis pe-  
riculis, æternum se testimoniū lau-  
dum daturum esse profitetur: isque  
est eo numero, qui semper apud o-  
mnes sancti sunt habiti atque di-  
cti, sic in vestram accipiatis fidem,  
vt humanitate vestra leuatus po-  
tius, quam acerbitate violatus esse  
videatur.

videatur. Quia de causa pro mea  
consuetudine, breuiter simplicitér-  
que dixi iudices, ea confido proba-  
ta esse omnibus, Quæ non fori, ne-  
que iudicali consuetudine, & de  
hominis ingenio, & communiter  
de ipsius studio locutus sum, ea iu-  
dices à vobis spero esse in bo-  
nam partem accepta, ab eo  
qui iudicium exercet,  
certè scio.









145972



OCN 66343495

me  
on  
n r  
us  
su  
via  
pa  
me  
on  
q8  
fim  
ma  
na  
tut  
t p  
e  
qo  
mu  
m a  
pu  
2  
o

